

modum novæ legis, tunc ad instar aliarum constitutionum apostolicarum de novo conditarum, etiam talium decretorum fit solemnitas Romæ promulgatio, et affixio in locis consuetis: uti videre est in decreto ejusdem sac. congregationis, *De regularibus apostatis et ejectis*, edito die 21 Septembris 1624, (ac refertur tom. IV *Bullarii Romani*, constitut. 28 Urbani VIII), et in alio decreto, *De Celebratione missarum*, quod incipit; « Cum sæpe contingat. » die 21 Junii emanato (ac refertur in eodem *Bullario*, constit. 45 d. Pontif.) et nonnullis aliis, quæ postmodum in locis consuetis Romæ affixa, et publicata fuerunt, prout notatur ad finem eorundem decretorum.

135. *Item, declarationes cardinalium, quæ soleant publicari, vel non?* — Ad secundam rationem dubitandi nu. 129 allatam patet responsio ex dictis. Nam quia sæpe dictæ declarationes cardinalium novum jus non constituunt, sed dumtaxat jus antiquum interpretantur, ac declarant, prout communiter accidere solet; hinc nequaquam opus est speciali mandato ad inducendam obligationem, sed sufficit primum illud mandatum, sub quo lex nunc declarata olim publicabatur, et subditis observanda proponebatur.

136. *Recipiuntur reverenter a Rota Romana.* — Ad ultimum patet etiam ex dictis. Nam, quia summi Pontifices dederunt (ipsis tamen consultis) memoratæ sac. congregationi facultatem interpretandi decreta concilii Tridentini; hoc ipso apostolicam eisdem declarationibus auctoritatem, vimque legis imperitii fuerunt. Unde etiam Rota Romana dictas declarationes cardinalium absque ulla oppositione, vel ambiguitate, reverenter suscipit, atque omnimode observat, etiam dimissis ipsis Rotæ decisionibus, quando in contrarium adsunt declarationes sæpe dictæ sac. Congregationis. Barbosa cit. cap. 4, n. 81; Fagnanus, ut supra, n. 72; card. de Luca, discurs. 6, *de Parochis*, n. 5, et alii.

137. *Quando sint applicabiles ad alios casus particulares?* — Ubi tamen notandum, quod illæ cardinalium declarationes, quæ singulos, vel particulares concernunt casus, ex horum speciali qualitate et circumstantiis manare soleant, ideoque alteri diversis circumstantiis habenti non semper sint applicabiles: cum diversimode, ob diversam facti qualitatem, sæpius decernere congruat. Card. de Luca, in *Annotat. ad concilium Tridentinum*, discurs. I, n. 12. At vero decreta vel decla-

rationes generales ejusdem sac. congregationis in omni casu locum obtinent: idemque dicendum de declarationibus particularibus (seu editis ad consultationem episcoporum aut partium litigantium in aliquo speciali casu) quoties eadem rationes, et circumstantiæ, in aliis casibus concurrunt: nam tam sæpe dictæ declarationes cardinalium in istis pariter sunt observandæ, cum decreta concilii Tridentini, quæ generaliter ligant omnes, semper habuerint et habeant in ventre sensum, seu intellectum illum, quem sac. congregatio sua declaratione manifestat. Fagnan. l. c. n. 66.

138. *Rota Romana, quid, et unde sit dicta?*

— Queritur II. Quid sit Rota Romana, et cujus auctoritatis sint decisiones ejus? Resp. I. Rota Romana est summi Pontificis in causis litigiosis tribunal, et iudicium. Quia Papa est iudex ordinarius omnium hominum, de qualibet mundi parte in causis ecclesiasticis potest ad ipsum appellari, can. *Cuncta per mundum*, 9, q. 3; et quidem etiam immediate, seu omissis iudicibus intermediis, propter plenitudinem potestatis apostolicæ, can. *Si quis vestrum*, et seqq. 2, q. 6, ac notat Glossa in c. *Dilecti*, 66, §. *Post hujusmodi, de Appellat.* Unde contingit, quod, cum ob ingentem molem causarum, et negotiorum explicandorum, singulis Pontifex Romanus per seipsum solum, humana imbecillitate præpediente, pro voto satisfacere non sufficiat; præter Consistorium, in quo Papa pro expediendis primariis, et majoribus negotiis solet adjutores, et consiliarios adhibere cardinales; ab antiquo jam erectum fuerit *Auditorium Rotæ*, in quo universorum Christi fidelium causæ ecclesiasticæ, ac etiam sæculares eorum, qui temporali jurisdictioni pontificiæ subsunt, ex commissione pontificia cognoscantur, et juste terminentur: quamvis de facto, post erectas præsertim tot alias sacras congregationes, de quibus fit mentio in constitutione 74 Sixti V quæ incipit *Immensa*, non amplius tam copiosus sit numerus causarum spiritualium, seu ecclesiasticarum, in hoc tribunali discutendarum, sicut antiquitus. Cardinal. de Luca in *Relatione Romanæ Curie forens.* discurs. 32, n. 61.

139. *Quot auditores, et quales in ea reperiantur?* — Et quidem olim quatuordecim, et quandoque plures, pro arbitrio Pontificum, extiterunt auditores Rotæ: verum Sixtus IV, in constitutione *Romanus Pontifex* (et habetur tom. I. *Bullarii Rom.* constitut. 2, d. Pont.)

§ VIII. DE DECLARATIONIBUS CARDINALIUM, DECISIONIBUS, ETC.

auditores Rotæ Romanæ ad numerum duodenarium reduxit: iidemque nonnisi ex famosis juris doctoribus, ac præcipue experimentalis, simulque ex diversis assumuntur nationibus, ut hac ratione in eo tribunali existant viri, qui in singulis respective provinciis, et nationibus versati sunt. Et quia omnes illi duodecim auditores in eadem circulari mensa accumbunt, ad formam rotæ, verisimile est inde promanasse appellationem Rotæ Romanæ. Card. de Luca, cit. discurs. 32, præsertim n. 16, 17 et 34.

140. *Decisiones Rotæ Romanæ sunt magistrates tantum, nec faciunt jus universale.* — Resp. II. Decisiones Rotæ Romanæ non faciunt jus universale, sed sunt magistrates, et probabiles tantum, licet cæteroquin magnum habeant pondus auctoritatis. Ita card. de Luca, loc. cit. n. 66, asserens quod decisiones Rotæ, licet magnæ sint auctoritatis in curia, non faciant auctoritatem necessariam apud inferiores magistratus, tanquam decisiones papales. Felinus, c. *Pastoralis*, n. 10, *de Fide instrument.* dicens quod auditores Rotæ non habeant auctoritatem legis condendæ; Nicol. Garcias in cit. præfat. tom. I; Engel in proœmio *Collegii juris canon.* n. 17; Fagnanus, c. *Cum venissent*, n. 31, *de Judiciis*, citans Geminianum in c. *Duobus*, n. 9, et ibi Francum, n. 10, *de Rescript.*, in 6; Præpositum, Bellameram, et alios. Ratio est, quia nullibi reperitur auditoribus Rotæ Romanæ fuisse concessam potestatem jus novum condendi, sed dumtaxat secundum jura jam posita in causis particularibus iudicandi, ac sententiam ferendi: prout in similibus decisionibus Cameræ imperialis passim sentiunt doctores, quod assessoribus Cameræ data fuerit ab imperatore potestas secundum leges iudicandi, non autem novas condendi.

141. *Solvitur instantia.* — Nec obstat textus c. *In causis*, 19, *de Sent. et re judic.* ubi dicitur quod, si causæ summi Pontificis iudicio decidentur, in similibus casibus cæteri teneantur similiter iudicare: ac proinde, ut ibidem loquitur Glossa in casu, quod sententia Papæ jus faciat quoad omnes. Non obstat, inquam, quia, ut patet ex allegatis verbis, ibi sermo est de decisione ipsius Papæ; prout etiam l. ult. c. *de Legib.* dicitur quod sententia definitiva ipsius principis lata super causâ, de qua plene cognovit, vim habeat legis generalis: non autem textus ille loquitur de decisione senatus pontificii, seu Rotæ Romanæ. Accedit quod ipsamet Rota mutet

quandoque opinionem suam; idque frequenter contingere notat card. de Luca, loc. cit. num. 102, et Cardinalis in c. *Pastoralis. de Fide instrument.* et Nicol. Moronus *Tractatum* tom. II, part. I, tract. *de Fide, treuga et pace*, quæst. 121, num. 193, post Decium, consil. 494, et alios. Id autem fieri non posset, si decisiones ejus vim legis universalis obtinerent.

142. *Habent nihilominus magnum pondus auctoritatis.* — Additur notanter num. 140. « Licet cæteroquin magnum habeant pondus auctoritatis. » Nam quia decisiones Rotæ Romanæ nonnisi summa cum maturitate procedunt, simulque ab uno ex supremis totius orbis christiani tribunali, et capellam, seu aulam pontificiam repræsentante, promanant: hinc ipsius resolutiones merito per inferiores iudices, et magistratus, imo et per superiores congregationes habentur in veneratione, magnamque faciunt fidem. Unde pariter aliarum nationum professores, atque eximii scriptores, magnam sæpe dicti tribunalis agnoscunt auctoritatem, eamque frequentibus suarum decisionum allegationibus contestantur. Quinimo, quod Rotæ Romanæ decisiones prævaleant communi opinioni censet Imola, in cap. 1, *de Litis contest.* et Fagnanus in c. *Cum venissent*, n. 32, *de Judiciis*, et Garcias loc. cit. citans alios; atque, ut inquit Quintilianus Mandosius *Tractatum* tom. III, tract. *de Monitoriis*, q. 27, n. 6, « Rota loquente cætera tribunalia obmutescunt. » Quanquam, quia dictæ Rotæ Romanæ non licet concilii Tridentini decreta interpretari, ob prohibitionem Pii IV, eadem declarationibus sacræ congregationis cardinalium concilii Tridentini interpretum reverenter deferre consueverit.

143. *Ac faciunt jus inter partes; et quando?* — Ulterius notanter additur cit. n. 140. « Non faciunt jus universale. » Quia imprimis fatendum est quod Rotæ decisiones jus faciant inter partes litigantes: nam istud est commune cæteris sententiis judicialibus, a quibus vel legitimo tempore (hoc est, inter decennium) non fuit appellatum: tunc enim sententia transit in rem iudicatam, c. *Quod ad consultationem*, 15, *de Sent. et re judic.* et similibus; vel si ab ipsis secunda vice fuerit appellatum, et pars victa succubuit in duplici appellatione, sicque tres conformes contra se reportavit sententias: nam tunc ea tenetur acquiescere, non potest in una eademque causa tertio appellare, l. un. c. *Ne liceat in*

eademque causa tertio provocare Idque etiam locum obtinet in Rota Romana.

144. *Qua ratione auditores Rotæ soleant votum suum proferre?* — Ubi sciendum quod in Rota Romana ordinario, (seu nisi pro casu speciali alius Pontifex mandaverit) solum quatuor ex duodecim auditoribus circa singulas causas votum proferant; atque, si in eandem concorditer deveniant sententiam, vel saltem tres ipsorum concordent, capiatur resolutio; a qua si pars succumbens appellat, aliis quatuor auditoribus causa examinanda et definienda committitur, nisi quis in duplii jam appellatione succubuerit. Card. de Luca, cit. discurs. 32; *Relat. Rom. curiæ*. num. 34, et n. 37, ac. seqq.

145. *Decisiones Rotæ jus faciunt in curia ad modum styli, quando sæpius secundum eas fuit iudicatum.* — Deinde, quod decisiones Rotæ jus faciant in curia ad instar styli, saltem quando secundum eas sæpius fuit iudicatum, tradit Joan. Franciscus Pavinus in *Præbendis Extravag. Joannis XXII. y. Decisiones Rotæ*, et post ipsum Fagnanus c. *Cum venissent*. n. 23, de *Judiciis*, et Engel, cit. num. 17. Ratio est, quia ad Rotam spectat interpretari verba, et mentem Papæ in rescriptis, et hæc quasi possessio existit, sciente, patiente, imo et mandante summo Pontifice: unde si, super eadem juris questione, licet æterioquin inter doctores admodum controversa, uniformes, ac sæpius repetitæ procedant decisiones Rotæ, tandem faciunt consuetudinem, et stylum in curia Romana, l. *Si de Interpretatione*, et l. *Nam Imperator*. ff. de *Legibus*. Quo posteriori in loco dicitur « in ambiguitatibus, quæ ex legibus proficiuntur, consuetudinem, aut rerum perpetuo similiter iudicatarum auctoritatem, vim legis obtinere debere. » Per hoc tamen dictæ decisiones Rotæ non constituunt jus universale, nec alii iudices præcise secundum eas tenentur iudicare, nisi quatenus meliora juris fundamenta aliunde non suppetant.

146. *Magna est Glossæ auctoritas.* — Quæritur III. Quantæ auctoritatis sit Glossa? Resp. I. Licet magna, et cæteris paribus major sit auctoritas Glossæ, quam alterius auctoris; nihilominus ipsa neque habet auctoritatem legis, neque est attendenda, quando meliora juris fundamenta et rationes contra ipsam militant. Ita in re communis. Et quidem.

147. *Magna est Glossæ auctoritas.* — Prior pars patet ex encomiis illis, quæ Glossæ attribui solent: nam quia Glossa digna judi-

cata fuit ut ad canonis, seu legis declarationem in corpore juris poneretur: hinc quod auctoritas Glossæ major sit, quam aliorum doctorum, tradit Bartolus in l. *Ut vim*, et ibi Jason, n. 34. ff. de *Just. et jur.*, et Baldus in l. *Cum hæreditas*. C. *Depositi*, et alibi, dicens quod Glossæ auctoritas omnes alias auctoritates antecedit, a qua proin causis magnis recedendum non est. Item Jacob. Butrius in l. I. C. *Qui pro sua jurisdict.* inquit quod, ubi cum Glossa concordat aliquis doctor, illa opinio censeatur communis in iudicando. Et rursus Baldus in l. ult. § *Necessitate*, c. *De bonis que liber*, ait: « Adhæreas carolio veritatis Glossæ, et in æternum non errabis. » Insuper opinionem Glossæ communi opinioni præferendam esse censet Felinus in cap. I, n. 34, de *Constitut.* citans Imolam, Salicetum, et alios. Unde Glossæ opinio appellatur *Idolum advocatorum*, secundum Cynum in l. *Non moriturum*. C. *De contrahend. et committ. stipulat.* quem refert, ac sequitur Alexander, consil. 51, n. 4, lib. IV. Quibus similia passim habent alii doctores.

148. *Ea tamen non habet vim legis.* — Altera pars, quod Glossæ auctoritas vim legis non habeat, est communis. Nullibi enim auctoritas legis condendæ eidem attributa legitur: quinimo Glossa a privatis auctoribus, videlicet, Bernardo, Tancredo, Jo. Andrea, et aliis, quorum nomina plerumque ad finem Glossarum apponuntur, textui canonum apposita fuit: atqui tales privati auctores potestatem condendi leges non habuerunt. Accedit quod dentur nonnunquam Glossæ inter se contrariæ.

149. *Potestque per jura meliora et rationes reprobari.* — Et per hoc patet ad tertiam partem. Nam, quia Glossæ opinio auctoritatem legis non habet, merito per jura meliora, et rationes in oppositum occurrentes rejici potest, et non raro reprobat. Siquidem inter plures opiniones illa est præferenda, et sequenda, quæ meliori et subtiliori nititur ratione, ut inquit Abbas in c. *Capellanus*. n. 3 de *Feris*. Neque enim in delectu opinionum habendus est respectus ad qualitatem personæ, v. g. Glossæ, illam opinionem foventis, sed ad rationem ipsius, text. notab. in l. I. § *Sed neque*. C. de *Veteri jure enuclean.* ibi: « Sed neque ex multitudine auctorum, quod melius et æquius est, iudicatore: cum possit unius forsitan et deterioris sententia et multos, et majores in aliqua parte superare. »

150. *Glossæ auctoritas est dumtaxat probabilis, non necessaria.* — Nec obstant encomia Glossæ in contrarium allegata. Nam illa procedunt non de necessitate, sed per modum consilii: quia enim veritas non facile potest inveniri, utilius est accedere opinioni Glossæ, cujus auctoritate defendimur, et excusamur, quam alterius privati auctoris non afferentis clariora juris, aut rationum fundamenta. Non tamen idcirco cogimur sequi Glossam, utpote cujus auctoritas est dumtaxat probabilis, non necessaria, ut fatetur ipsemet Baldus in l. *Conventiculum*, n. 3. c. de *Episcop. et cleric.*

151. *Quam opinionem ex pluribus allegatis præsumatur approbare?* — Resp. II. Quando Glossa plures refert opiniones, tunc in dubio, et nisi aliud ex verbis ejus colligi possit, præsumitur approbare ultimam. Ita Felinus in c. *Canonum statuta*, n. 53. de *Constitut.* citans Lodov. Romanum in consil. 83. Hostiensem, Jo. Andream, et alios.

152. *Quando inaniter allegetur?* — Solum adde cum Laymano in d. c. *Canonum statuta*, n. 20, et aliis, Glossæ auctoritatem inaniter allegari absque textu, si ipsum jus expressum habeatur, utpote ex quo tota pendet resolutio. Et ob eandem rationem frustra laborant illi, qui doctorum auctoritates cumulant prætermissis canonibus, aut lege ex qua fuit tota doctrina desumpta.

§ IX.

DE JURE CIVILI, EJUSQUE DIVISIONE ET PARTIBUS.

153. *Ratio ordinis, seu presentis paragraphi.* — Rectissime observavit Pontifex in c. *Solite*, G. de *Majoritat. et obedient.*, quod sicut olim in creatione mundi, ita et postea, « ad firmamentum cæli, hoc est, universalis Ecclesiæ, fecit Deus duo magna luminaria, hoc est, duas constituit dignitates, quæ sunt pontificalis auctoritas, et regalis (sive imperialis) potestas. Sed illa, quæ præest diebus, id est spiritualis, major est; quæ vero carnalibus, minor, ut quanta est inter solem et lunam, tanta inter Pontifices et reges differentia cognoscatur. » Ad illustrandum igitur veram Christi Ecclesiam jus canonicum, pontificali auctoritate constitutum, simulque præcellentius, ex professo pertractandum venit; simul tamen de jure civili, imperatoria potestate condito, atque instar lumi-

narioris minoris Ecclesiæ Christi irradiante, non quod falcem intendamus mittere in messem alienam, sed quia magna inter utrumque jus est confœderatio, prout amplius ex progressu patebit. Simulque quia de ipsis legibus imperatoris frequens, tum in *Decreto Gratiani*, tum in libris *Decretalium*, sermo recurrit: prout liquet ex can. *Jus civile*, et seqq. dist. I. et ex cap. 1 et de *Novi operis nuntiatio*, et c. *Cum dilecta*. § *Nos igitur*, de *Confirmat. util.* et alibi sæpe. Proinde:

154. *Jus civile, quid?* — Quæritur I. Quid sit jus civile, et absolute prolaturum pro quo supponat? Resp. I. Jus civile est quod auctoritate principis, sive magistratus sæcularis, ad tranquillam reipublicæ gubernationem, et communem civium salutem conservandam, constitutum est. Ita in re communis; et concordat textus in can. *Jus civile*, dist. I. ibi: « Jus civile est quod quisque populus, vel quæque civitas, sibi proprium divina, humanaque causa constituit. » Et dicitur jus civile, « quasi jus proprium ipsius civitatis; » et hoc ad differentiam juris gentium, quo omnes, vel fere omnes gentes utuntur, § *Jus autem civile*, *Institut. de Jure nat. gent. civil.* Proinde, cum jus civile ab unaquaque civitate appelletur, nihil prohibet leges, v. g. Solonis, appellare *Jus civile Atheiense*: et jus, quo Romanus populus utitur, *Jus civile Romanorum*; vel *Jus Quiritum*; cum Romani a Romulo, Quirites a Quirino nuncupentur, § *Sed jus quidem*, instit. eod.

155. *Absolute prolaturum intelligitur de Romano. Verba simpliciter prolata intelliguntur in digniori significato.* — Resp. II. Nihilominus jus civile simpliciter et absolute prolaturum de Romano intelligitur; idque per antonomasiam: qua ratione in simili nomen *Urbis* absolute prolaturum Romam, et *Poeta* absque alio addito dictus, apud Græcos egregium Homerum, apud Latinos Virgilium denotat. Ita habetur cit. § *Sed jus quidem*, instit. eod., traduntque Interpretes communiter. Et hinc desumitur argumentum cum Baldo ibidem, quod verba simpliciter prolata in potentiori, et digniori significato intelligantur. Intellige, stante dubio, ac nisi aliud ex contextu pateat.

156. *Jus civile commune, et particulare, seu municipale, quid?* — Quæritur II. Quomodo dividatur jus civile? Resp. I. Illud varie dividitur; et primo quidem in jus commune, et jus particulare, seu municipale. *Jus civile commune* dicitur, quod est commune omni-